

Africa deinde subit nigro contincta colore ;  
 Vasta quidem tellus , sed non ita culta , videtur  
 Quæ regione sui media deserta propè esse .  
 Namque ibi arenosi montes , campique feruntur  
 Instabiles , & tæcla tenent invisa ferarum .  
 Nilus eam pluvia , & cœlesti humore carentem  
 Abluit exundans , & largo flumine ditat .  
 Hic est fertilis Ægyptus , Nomadesque vagantes ,  
 Et Mauri , & Numidæ , sunt hic Garamantes , & ora  
 Exusti Æthiopes , Nubiæque calentia regna :  
 Multaque præterea populorum nomina , multæ  
 Regnantum latè ditiones . Ultima restat  
 Europa , a Tyria tenuit quæ Virgine nomen .  
 Hanc Jove cornigero , dum littore luderet inter  
 Æquales ætate simul florente pueras ,  
 Deceptam memorant Vates ; veclamque per æquor  
 In Cretam : trepidans ex æquore respiciebat ,  
 Æquore dum Tauri tergo vcheretur amantis ,  
 Litus respiciebat , eoque in littore pubem  
 Tendentemque manus , iterumque , iterumque vocantem ,  
 Pulchraque plus lacrymis quam fluctibus ora rigabat  
 A magno nuptam se ferri ignara Tonante .  
 Virginis hujus habet nomen , quæ dicitur Orbis  
 Tertia pars veteris , longè minima inter utramque  
 Et Libyæ , atque Asiam partem ; sed enim magis illis  
 Nobilitata , superque alias florentior omnes .

Atque ea Parrhasiæ qua latè subjetat Ursæ ,  
 Moscorum imperium complectitur , hisque propinquos  
 Suecosque , Danosque , & quorum nomina versu  
 Claudere Musa vetat , Boreæque , & frigoris ejus  
 Indigenas ; nec non illa tellure Britannos  
 Avulsos paulùm , & munitos æquore circùm .  
 Pars alia Europæ , qua se convertit ad Austrum ,  
 Cum regnis te vasta tuis Hispania , pulchramque  
 Italiam pariter tellurem , Pannoniamque ,  
 Et Misum , & Thracum , & Grajorum continet arva .

At